Langsdorf - Exercitationes Plutarcheae - 1878.

Exercitationes Plutarcheae.

Dissertatio inauguralis,

quam

amplissimo philosophorum Marburgensium ordini

ad

summos in philosophia honores

rite capessendos

obtulit

Christianus Langsdorf

Nauheimiensis.

Marburgi Cattorum.

1878.

Typis L. Doellii Cassellani.

Plutarchus, philosophus ille Chaeronensis, non solum propter ingentem librorum copiam, sed etiam ob magnam rerum, quas ingenio praeclarissimo complexus memoriae tradidit, varietatem in iis scriptoribus, quibus ad perquirendas et cognoscendas antiquitatis res quam plurimum debemus, merito est habendus. Atque librorum ejus duo esse genera satis notum est, quorum alterum vitas, quas dicunt, parallelas, alterum scripta moralia continet. Omnibus autem temporibus vitae a viris doctis summa diligentia legebantur atque tractabantur. Neque vero minus moralia, quae dicuntur, digna sunt, quibus operam et curam impendant viri docti, cum non minorem voluptatem oblectationemque nobis praebeant. Equidem fateor memet ex magna illa librorum mole iis, qui ad vitam privatam spectantes ex ipsa auctoris vita prodiisse videntur, magnopere teneri oblectarique. Dico enim eos libros, quibus Plutarchus, quae sit vera consuetudinis ratio inter maritos, parentes liberosque, fratres, amicos optime descripsit, ita ut amicum fidelissimum, fratrem optimum, filium gratum piumque, amantissimum conjugem ipsum fuisse Plutarchum, cognoscere nobis liceat.

Jam vero de iis libris sum disputaturus, quos de amicitia composuit. In quibus scriptis legendis haud pauci mihi occurrerunt loci, qui vel prorsus corrupti

sunt, vel veram lectionem non praebentes emendatione egent, vel interpretationis accuratioris videntur indigere. — Priusquam autem locos tractatos proponam, nonnulla de libris, ex quibus sumpti sunt, praemittere mihi liceat, ut, quid senserit Plutarchus de amicitia, cognoscamus.

Ex aliorum scriptorum libris compertum habemus, Plutarchum praeter ea, quae etiamnunc habemus, *περὶ φιλίας* libellum composuisse, de quo temporum iniquitate factum est, ut fere nihil jam exstet. Nam quae tradita sunt fragmenta apud Joannem Stobaeum in eclog. tom. II. 7. 32 (tom. II. pag. 101 ed. Meineke), quid de amicitia censuerit Plutarchus nullo modo indicant. Tum in Stobaei florilegio tom. II. pag. 257 compluria leguntur lemmate signata *Πλουτάρχου ἐκ τῆς περὶ φιλίας*. Epistula quoque Plutarchi *περὶ φιλίας* affertur, quam non diversam esse ab illo libro, qui in Lampriae catalogo laudatur No. 82: *Πρὸς Βιθυνικὸν περὶ φιλίας* Rich. Volkmannus (Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch von Chaeronea. Berlin 1869. I. pag. 110. cf. 106) conjicit. Sed ne certum quidem est neque ullo modo potest confirmari, num illa verba jure Plutarcho tribuantur. Nam auctores isti notarum non ei sunt, qui magnam habeant auctoritatem, et in hac re eo minus habere possunt, quod epistula illa *περὶ φιλίας* aliis locis aut alii scriptori tribuitur aut nullo auctore nominato commemoratur. Sed eam rem, cum ad quaestionem nostram dijudicandam non valeat, in integro relinquamus. Nos quidem si, quid Plutarchus de amicitia senserit, enucleare volumus, eis libris contentos esse oportet, quos de adulatione, de amicorum multitudine, de utilitate ex inimicis capienda ect. composuit. Nostrum igitur est, accuratius inquirere in hos libros:

1) *πῶς αν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου*, 2) *περὶ πολυφιλίας*, 3) *πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελοῖτο*, quibus addenda sunt pauca ex libro de fraterno amore composito.

Atque is liber, ex quo maxime, qualem Plutarchus amicitiam sibi finxerit, intellegi potest, hic est, cui inscribitur: *πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου*, atque is quidem non solum amplitudine et magnitudine, sed etiam sententiarum egregiarum copia gravissimus. Haec autem fere sunt, quae ad amicitiam ipsam spectant.

Adulatio cum amicitiae speciem prae se ferre soleat, ne amicorum loco adulatores recipiamus itaque detrimentum maximum capiamus, cavendum est. Quamobrem priusquam homine aliquo utaris amico, explorare et judicare debes, ne sero adulatorem eum esse sentias. Neque vero ei laudandi sunt, qui amicitiam utilitate et honestate metientes comiter blandeque appellantem pro adulatore habent ideoque rejiciunt. Nam minime abest ab amicitia suavitas et desiderium, neque in acerbitate et austeritate morum gravitas amicitiae constat, juxta quam Gratiae sedes posuerunt et Cupido. Qua cum et secundarum rerum voluptas et gratia augeatur, adversarum minuantur dolores et difficultates, non inepte Euenus videtur dixisse, vitae nostrae admixta amicitia, ut omnia laeta, dulcia, grata essent, deum fecisse. Atque ob eam ipsam causam adulator voluptatem sectatus semper hilarem laetumque se praebet. — Laus vero tempore adhibita non minus decet amicum quam vituperatio, cum amici interdum laudantis etiam adhortationes majorem vim habeant.

Initium autem amicitiae maxime fit aequalitate morum atque studiorum, quod eisdem rebus gaudent,

easdem fugiunt res. Quae omnia haud ignorans adulator fingere studet adulatione; ne libertatem quidem dicendi amicitiae integram possessionem esse vult. Attamen non pauca sunt, quibus adulator ab amico differt, quae Plutarchus summo opere conquisita optime exponit, ita ut facile, quae vera sit amicitia, possit perspici. Ita, ut jam unum afferam, adulator omnia in altero laudat et ne vitia quidem vituperare audet, ne alteri displiceat, amicus autem non nisi honesta probaque laude sua digna putat. — Undecimo libelli capite de suavitate instituitur disputatio, quid amici, quid adulatoris suavitas sibi velit, quaeritur. Atque amicorum officiis apparet cum pulchritudinem et utilitatem, tum jucunditatem ut florem inesse, ita quidem ut jocus quoque et epulum et vinum et risus nugaeque locum nonnunquam habeant; adulatoris autem totum opus est lusus et jocus et voluptas. Sicut enim ille meliori semper animi parti et rationis participi se applicat, ita adulator libidinosae et experti rationis. Tum vero in officiis subeundis discrimen magnum invenitur inter amicum et adulatorem. Hic enim in omnibus rebus promptum se praebet, nunquam dubitantem neque recusantem, atque ejus oratio multis et operosis remediis eget; illius mores simplices sincerique sunt. Qui si obviam tibi fit, interdum neque dicit neque audit aliquid, sed familiariter te adspiciens et subridens praeterit; adulator contra accurrit, insequitur, jam procul dextram porrigit, si prius compellatus est, saepe testibus et jurejurando adhibitis excusationes profert. — Neque minus, quantum intersit inter eos, cognoscitur in promissis. Amicus enim cum dicat: adjuvabo te, si potero, et priusquam adjutor fiat, ut etiam ad consilium antea accitus rem honestam et decoram

judicaverit, postulet —. adulator omnia officia subit sine judicio, ne in suspitionem incidat haesitantis. Et amicus quippe cujus opera nihil prae se ferat ostentationis, saepe ignoranti tibi prodest, adulatoris opus sudorem habet et clamorem et trepidationem et contentionem.

Tum vero in alios amicos prorsus aliter se habet amicus et adulator. Alteri enim cum multis diligere et diligi suavissimum est, qui omnium rerum maxime amicos communes esse debere inter amicos existimet, alter natura invidus meliores illos homines timens depellere et ejicere summopere studet. — Denique inde a capite XXVI usque ad finem libri, libertate dicendi quomodo uti debeat amicus, quomodo adulator utatur, disserit auctor. Maxime quidem cavendum est, ne ex ira ortus esse videatur adhortantis sermo, sed ex benevolentia; nam ita venerabilis et gravis est amici adhortatio, ut suavitate non careat acerbitas et semper id agatur, ut honor et utilitas amici augeatur; absit autem temeritas, scurrilitas, contumelia.

Neque vero tempus admonendi est nullius momenti. In rebus secundis enim, cum ad voluptatem vel iram vel superbiam pronum videas amicum, locus est vituperationis, consolationis in rebus adversis. Et ne id quidem est omittendum, ut in aliis honestas res laudes, improbes reprehendasque turpes. Atque si ab aliis conviciis et maledictis invaduntur amici, palam quidem defendendi sunt, inter parietes autem, non coram multis admonendi, ut cautius vivant, ne habeant inimici, quod exprobrent. Commodissime autem ita amicum vituperabis, ut te ipsum accusatione et reprehensione peti fatearis; nam qui vitiis expertem se jactat pro importuno et molesto habetur neque quidquam efficit. Minime

autem decet admonitum contra. admonere, cum reprehensionem ferre non posse videatur. Veri autem amici est, non nisi in magnis rebus castigandi molestiam subire. Si vero isti vitia sibi adhaerere intellegunt et corrigere student, primum laudes, tum libertate dicendi utaris necesse est, sed placide adeundi sunt et cum benevolentia, cum timendum sit, ne acerbis verbis laesi abeant, ita ut placari vix possint. —

Alter libellus, cui inscribitur *περὶ πολυφιλίας*, non magni quidem ambitus est (continetur enim novem capitibus), tamen sententiis praeclarissimis minime caret. — Summum autem bonum amicitiam esse auctor in prooemio praemittit, cum Menandreum illud laudet: *θαυμαστὸν ὅσον νομίζειν ἕκαστον ἀγαθὸν, ἂν ἔχῃ φίλου σκιάν.* Atque quaerentibus unde fiat, ut tam rara sit vera amicitia, eam causam esse respondetur, quod nimis multos amicos appetant homines. Nam per novarum rerum studium, quod naturae nostrae inest, a recentiore amico tenemur; dilabuntur priores, cum neglegantur. Atque semper binos amicos memoriae traditos esse videmus; et quod alter ipse putatur amicus et nominatur *ἑταῖρος*, quasi *ἕτερος*, nihil aliud est, quam numerum binarium haberi mensuram amicitiae. Quod etiam ex eo intellegi potest, quod amicitia paratur benevolentia et gratia cum virtute conjuncta, quibus rebus nihil rarius habet natura. Attamen non unum esse amicum oportet, sed inter alios unum aliquem quasi unicum, qui salis illum modium nobiscum edit. Vera autem amicitia tres maxime requirit res: virtutem, consuetudinem, usum, inprimis autem, priusquam recipias amicum, judicium est adhibendum. Nam contra summa pericula auxilium profitetur amicus verae probataeque

firmitatis. Ut vero difficile est, multos amicos dijudicare, ita cum multis simul ut verseris, omnino fieri nequit. Et ne usus quidem restat in multitudine amicorum. Quodsi enim omnes eadem opera egeant, omnibus sufficere difficile est; si vero multi eodem temporis momento, diversa officia, ut praestes, cupiant, omnibus adesse non possis; nulli vero subvenire, absurdum est; unum si adjuves, alios quam maxime offendas. Plerique enim homines, quam utilitatem sibi affere possint amicitiae, respiciunt, quae vero officia imponant, neglegunt. Neque tamen Euripidem sequamur, qui modicam amicitiam esse conciliandam dixerat, ut facile posset solvi. — Sed ne id quidem omittendum est, amicitiis adjunctas esse inimicitias, cum etiam inimici sint communes ut pericula et calamitates. Quamobrem non cum multis amicitia est concilianda, sed solum cum iis, qui nostri similes sunt et digni amicitia nostra. Qui quidem multos amicos complecti vult, animum habeat multiplicem et mobilem necesse est; amicitia requirit simplices mores et immutabiles.

Pauca jam ex eo libro, cui inscribitur: *πῶς ἄν τις ὑπ' ἐχθρῶν ὠφελοῖτο* afferenda sunt. Cujus libelli primo capite scriptum legimus, ipsas amicitias nos implicare inimicitiis, ita ut Chilon dicentem quendam, se nullum habere inimicum, num ne amicum quidem haberet, interrogaverit (pag. 86, C. D. coll. pag. 96 A.). Tum scriptor exponit, inimicos summa vigilantia omnibus rebus nostris attendere et, quid agamus, quid consilii capiamus, invenire studere; contrariam esse amicorum et inimicorum rationem. Illos enim nihil earum rerum curare; immo haud raro accidere, ut nescientibus amicis aegrotet aliquis vel moriatur. Ini-

micos autem propterea ad omnes nostras res animum attendere, ut objurgationis et reprehensionis causam inde sumant. Atque cum amicitiae vox tenuis jam sit in libera reprehensione adhibenda, ut verum de nobis audiamus, ad inimicos confugiendum est (pag. 89 B.).

Nonnulla denique ex eo libello, quem de fraterno amore Plutarchus composuit, liceat addere. Qui quidem fratrem multo pluris aestimat quam amicum, cum natura instituta sit fratrum consuetudo familiarissima, ita ut eum, qui pro fratre amicum sibi conciliet, non aliud facere dicat, atque si quis proprium pedem ipse evellens utatur ligneo. Itaque qui eam in fratres amicitiam non colat, ei ne tum quidem habendam esse fidem, cum in alios se benevolum esse jactet et socium familiarissimum appellet fratrem. Occurrunt in hoc libro etiam tales sententiae, quas jam in aliis legimus; imprimis amicos communes esse oportere inter amicos, alia. Id vero maxime agendum esse censet Plutarchus, ut fratrem semper anteponamus amico in magistratibus, invitationibus, aliis, etiamsi pari erga amicum simus benevolentia.

Aliorum autem scriptorum, qui de amicitia scripserunt, Graecorum gravissimus et summus Aristoteles est, Cicero Romanorum, quorum libros ad illustrandas Plntarchi, quas modo cognovimus, sententias non prorsus neglegendos esse censui. Cum vero accurata eorum cum Plutarcho comparatio res videatur perdifficilis, quoniam hujus de amicitia librum non jam habemus, similitudines quasdam examinare et proferre satis habeo.

Atque Aristoteles in Ethicor. Nicomacheor. libris VIII et IX, Cicero in eo libro tractavit amicitiam, cui

inscribitur Laelius sive de amicitia. Paucis vero licet Aristotelem absolvere, quippe cujus ratio disserendi a Plutarchea quam maxime absit et sententias similes praebeat fere nullas. Vix enim huc pertinere concesseris, quod Eth. Nicom. VIII. cap. 11 legitur: *καὶ ἡ παροιμία· „κοινὰ τὰ φίλων“ ὀρθῶς*, idemque in Plutarcho invenitur *κοινὰ τὰ φίλων ἡγούμενος*, cum contextus sententiarum in utroque loco prorsus alius sit. Atque similis est ratio locorum, quibus amicum quasi alterum ipsum esse dicitur (cf. Plut. pag. 93. E., Aristot. Eth. Nicom. IX, 4. addita Ciceron., Lael. VII, §. 23). Atqui in universum quidem statui potest sententiarum similitudo iis locis, quibus de multitudine amicorum disserunt. Praemisso enim proverbio illo, salis modium nobiscum edisse amicum opus esse, Aristoteles (Eth. Nicom. VIII, 4), ut veram amicitiam temporis indigere et consuetudinis doceat, cum multis hominibus amicitiam veram conciliari nequire contendit, quod multis familiarem fieri, cum multis conjunctissime versari, officia multis praestare, uniuscujusque denique participem esse rerum prosperarum et tristium difficillimum sit. Accedit autem, quod amici illi celeberrimi, memoriae traditi, bini semper fuerunt. (Ethic. Nicom. VIII, 4. VIII, 7. IX, 10). Quae omnia fere congruunt cum eis, quae Plutarchus *περὶ πολυφιλίας* (pag. 94 A—E.) de ea re disputavit. Haec autem consensio tantum abest ut aliquid habeat momenti, ut eis prorsus assentiri non dubitemus, quae Rich. Volkmannus (Leben, Schriften und Philosophie des Plut. von Chaeronea II, p. 19) dixit, Plutarchum philosophiae Aristotelis non adeo operam dedisse, ut vestigia ejus studii in ipsius scriptis a viris doctis adhuc comprobari possent.

Jam vero, inter Ciceronis de amicitia dialogum et libros istos Plutarcheos quaenam sit ratio, quaeramus. Neque enim pauci leguntur loci, qui similitudinem quandam majorem inter eos exsistere comprobare videntur.

Et primum quidem ut afferam ex illo libro de discrimine amici et adulatoris composito locum, Plutarchus (pag. 48 F. coll. pag. 65 E. F.) dicit, sui ipsius amore hominem inductum adulationis esse amantissimum. *Τοῦτο*, inquit, *τῷ κόλακι πολλὴν μεταξὺ τῆς φιλίας εὐρυχωρίαν δίδωσιν ὁρμητήριον ἐφ' ἡμᾶς εὐφυὲς ἔχοντι τὴν φιλαυτίαν, δι' ἣν αὐτὸς αὑτοῦ κόλαξ ἕκαστος ὢν πρῶτος καὶ μέγιστος κ. τ. λ.* Quibuscum conferas, quae Cicero §. 97 scripsit: Quamquam ista assentatio, quamvis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi ei, qui eam recipit atque ea delectatur. Ita fit, ut is assentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui ipse sibi assentetur et se maxime ipse delectet. — Neque vero minorem sententiarum similitudinem cognosces verba Plutarchi: *οὐδὲ γὰρ ἀηδὴς ὁ φίλος οὐδ' ἄκρατος οὐδὲ τῷ πικρῷ σεμνὸν ἡ φιλία καὶ αὐστηρῷ· ἀλλ' αὐτὸ δὴ τοῦτο τὸ καλὸν καὶ τὸ σεμνὸν αὐτῆς ἡδὺ καὶ ποθούμενόν ἐστιν*, comparans cum Ciceronis Lael. §. 66: Accedat huc suavitas quaedam oportet sermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiae. Tristitia et in omni re severitas habet illa quidem gravitatem; sed amicitia remissior esse debet et liberior et dulcior et ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

In eo quoque fere consentiunt scriptores, quod amici operam non nisi in justis rebus et honestis postulare verae amicitiae esse dicunt, de qua re Plutarchus

capite XXIII ejus libri cui inscribitur *πῶς ἄν τις διακρίνειε κ. τ. λ.* accuratius disseruit. Quibus comparetur Ciceronis Laelii §. 44: Haec igitur prima lex amicitiae, ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus.

Συσσωφρονεῖν γάρ, οὐχὶ συννοσεῖν ἔφυ (scil. *ὁ φίλος*; Plut. pag. 64 C). Versus quoque ille huc referendus est, quem ex Sophocle attulit: *οὐ γὰρ συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν ἔφυ* et ex Ciceron. Lael. §. 83: Virtutum adjutrix a natura data est (amicitia), non vitiorum comes.

Procedimus jam ad eam quaestionem, quam de dicendi libertate, qua haud raro uti debet amicus, instituit Plutarchus (pag. 66, A. sequ.). Quam rem Cicero §§. 88—91, tractavit, ex quibus haec afferam: nam et monendi amici saepe sunt et objurgandi et haec accipienda amice, cum benevole fiunt. Omnis igitur hac in re habenda ratio et diligentia est: primum ut admonitio acerbitate, deinde objurgatio contumelia careat. §. 91. Ut igitur et monere et moneri proprium est verae amicitiae et alterum libere facere, non aspere, alterum patienter accipere, non repugnanter; sic habendum est, nullam in amicitiis pestem esse majorem quam adulationem, blanditiam, assentationem."

Jam vero transeo ad libellum illum de amicorum multitudine compositum. Et primum quidem cum Plutarcheis verbis (pag. 93. E): *ᾧ κατὰ ζεῦγος φιλίας λέγονται κ.τ.λ.* comparaverim Ciceronis verba (§. 15): idque mihi eo magis est cordi, quod ex omnibus saeculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum, et (§. 20) quod ita contracta est res et adducta in angustum, ut omnis caritas aut inter duos aut inter paucos jungeretur.

Tum vero haec verba: *Τί οὖν νόμισμα φιλίας; εὔνοια καὶ χάρις μετ' ἀρετῆς*, nonne eandem sententiam habent atque ista Ciceronis (§. 18): Sed hoc primum sentio, nisi in bonis amicitiam esse non posse; et (§. 20): Est autem amicitia nihil aliud, nisi omnium rerum cum benevolentia et caritate summa consensio? — Adhortatur quoque uterque scriptor, priusquam amicum recipiamus, ut examinemus et judicemus. (Plutarch. pag. 94. A. B. pag. 49. E. Ciceron. §§. 67. 85; additis his locis Plut. pag. 94 E. Ciceron. §. 78).

Atque ne id quidem praetermittendum est, ab utroque scriptore eodem modo praecipi, ne eis fidem habeamus, qui contenderint (Cic. §. 45, coll. §. 59): commodissimum esse, quam laxissimas habenas habere amicitiae, quas vel adducas, cum velis, vel remittas (cf. Plut. pag. 95. E. F.).

Denique vero sub finem libelli Plutarchus dicit, amicitiam stabile et immutabile ingenium requirere, quod eandem retineat consuetudinem; et in alio quoque libro (p. 62 C.) dixerat: *ὁ γὰρ τοῦ φίλου τρόπος ὥσπερ ὁ τῆς ἀληθείας μῦθος ἁπλοῦς ἐστι κατ' Εὐριπίδην καὶ ἀφελὴς καὶ ἄπλαστος*, quibus compono ex Ciceron. §. 65 haec: simplicem praeterea et communem et consentientem, qui rebus eisdem moveatur, eligi par est. —

Quam sententiarum analogiam et similitudinem non tantam judico, ut ex ea concludam, Plutarchum in conscribendis illis libris fonte praecipuo usum esse Cicerone. Cui rei praeter alia multa etiam id obstare videtur, quod exempla Cicero fere omnia ex Romana historia, ex Graeca Plutarchus sumpsit. — Atqui luce clarius apparere videtur, Plutarchum Ciceronis Laelium haud ignorasse; diligenter legisse eum et ex eo

libro nonnulla adnotasse verisimile est. — Quod si recte contenditur haud scio an cum aliqua probabilitate conjiciatur, libros illos de adulatore et de amicorum multitudine conscriptos esse a Plutarcho sene, aliquanto postquam Roma, ubi se fuisse ipse narrat, in patriam reverterit. Nam in vita Demosthenis (cap. 2) dicit: *ὀψέ ποτε καὶ πόῤῥω τῆς ἡλικίας ἠρξάμεθα Ῥωμαϊκοῖς γράμμασιν ἐντυγχάνειν.* Accuratius autem ut id temporis spatium definiatur et circumscribatur, non jam fieri poterit. —

Altera pars.

In altera commentationis parte complures locos ex illis libris desumptos tractavi et virorum doctorum propono judicio.

Primum igitur ex libello illo *περὶ πολυφιλίας* composito proposuerim hunc locum:

pag. 93 C.

Αἴτιον δὲ μετὰ πολλῶν ἄλλων οὐχ ἥκιστα γ' εἰς φιλίας κτῆσιν, ἡ τῆς πολυφιλίας ὄρεξις, ὥσπερ ἀκολάστων γυναικῶν τῷ πολλάκις καὶ πολλοῖς συμπλέκεσθαι τῶν πρώτων κρατεῖν μὴ δυναμένων ἀμελουμένων καὶ ἀποῤῥεόντων.

Ut paucis sententiarum nexum expediam — Plutarchus narrat, a Socrate quondam Menonem Thessalum interrogatum esse, quid esset virtus, et cum non unam, sed multas virtutes afferet, vituperatum esse, quod, cum ne unam quidem cognovisset, examen virtutum movisset. „Nonne nos quosque“, scriptor pergit, „ludibrio aliquis habuerit, quod, quamquam ne unam quidem amicitiam firme teneamus, ne imprudentes incidamus in amicorum multitudinem, metuimus? Quod non minus est absurdum,

atque si mutilus veretur, ne Briareus fiat centum manibus praeditus, et caecus quidam, ne fiat Argus omnia videns. Atqui mirum quam juvenem illum Menandri laudamus, qui dixerat, optimum virum se ducere eum, qui vel umbram haberet amici." — Jam sequuntur ea verba, quae supra attuli: *αἴτιον δὲ κ. τ. λ.* de quibus, cum largam praebeant dubitandi et criticae artis exercitandae materiam, accuratius et fusius sum disputaturus. Qui locus tribus maxime incommodis laborat, quae insunt in verbis *αἴτιον εἰς φιλίας κτῆσιν*, et *ἀκολάστων γυναικῶν* et *δυναμένοις*.

Atque primum quidem de lectione *αἴτιον εἰς φιλίας κτῆσιν* quaestionem instituam. Quam dictionem prorsus ineptam esse vix est, cur moneam, cum contrariam sententiam desideremus. Neque vero mihi arrident Reiskii conjecturae, qui aut scribi vult *εἰς φιλίας οὐδεμιᾶς κτῆσιν* aut *εἰς ἀφιλίας κτῆσιν*, quae quidem, quod ad sententiam pertinet, nihil propemodum inter se differunt. Nam etiamsi concedendum est, Latinam interpretationem propter sententiam eleganter et sine ulla offensione fluere, maximam mihi movet dubitationem grammatices ratio, cum a Graeci sermonis indole prorsus alienam esse talem dictionem *αἴτιος εἰς κτῆσιν* mihi sit persuasum. Exempla certe equidem inveni nulla. Denique ne hoc quidem possum non monere, parum rationi concinne dici tale quid: *αἴτιος εἰς ἀφιλίας κτῆσιν*; in qua locutione etiam omissa de praepositionis *εἰς* usu quaestione, verbum *κτῆσιν* in tali sententiarum connexu me male habet, cum meo quidem judicio scriptor amicitiam non possessam significare maluerit, quam amicorum inopiam partam, ita quidem ut notio negans non ad amicitiae, sed ad possessionis vocem pertineat. — Reiskii

igitur conjecturae cum non videantur pro veris esse habendae, jam de Wyttenbachii sententia erit videndum, qui mutato verbo *αἴτιον* in *ἐναντίον* planum esse locum censet, de qua re animadversionum I. p. 613 haecce dicit: „Conjeci *τοὐναντίον*, quod et cum vestigiis vulgatae et cum sententia et cum loquendi consuetudine convenit: *ἐναντίον εἰς φιλίας κτῆσιν* contrarium, impedimentum comparandae amicitiae.“ Cui quidem concedendum est, conjecturam illam non nimis recedere a traditarum litterarum ductibus. De sententia autem non possum non monere, etiam eorum, quae antecedunt, enuntiatorum in dijudicanda hac quaestione non nullam habendam esse rationem. Nam cum Plutarchus antea dixerit: *ὅτι μηδέπω μίαν φιλίαν κεκτημένοι βεβαίως φοβούμενοι μὴ λάθωμεν εἰς πολυφιλίαν ἐμπεσόντες*, nonne hoc quoque loco exspectamus, majore quadam vi oppositam esse a scriptore *ἀφιλίαν τῇ πολυφιλίᾳ*?

Sed cum haud ignorem de hac re in utramque partem disputari posse, non amplius in ea commoror, sed ad tertium, quo Wyttenbachius stabilire se posse putavit conjecturam dicens: „et cum loquendi consuetudine convenit“, procedo. Attulit enim vir doctissimus compluria exempla ex Plutarchi scriptis sumpta, quibus in usu fuisse illam dicendi rationem comprobare se posse putavit. Exempla autem ab eo laudata inter se certe sunt simillima, sed num quid ad nostrum locum valeant nescio; haec enim sunt: Plut. Moral. pag. 94 B: *πρὸς τὴν πολυφιλίαν ὑπεναντιοῦται*, pag. 96 D: *ἐναντίωμα πρὸς τὴν πολυφιλίαν*. Vit. Crassi cap. XVI (edit. Sintenis.) *πρὸς τὴν ἔξοδον ἐναντιώσασθαι.* Apparet autem his locis non comprobari, etiam praepositionem *εἰς* simili modo cum verbo *ἐναντίος* conjungi. Utriusque

vero praepositionis *πρός* et *εἰς* prorsus eandem esse rationem, nemo est quin neget. Atque imprimis cum talibus verbis, quale est *ἐναντίος*, meo judicio praepositio *εἰς* conjungi omnino nequit, si quidem huic verbo ea notio subest, quae hoc loco desideratur. Illud vero exemplum *πρὸς κτῆσιν τῆς ἀρετῆς*, quia notio vocis *ῥοπή* fere contraria est notioni, quae subest verbo *ἐναντίος*, omnino afferi non debebat. — Quibus argumentis diligenter perspectis Wyttenbachii conjectura videtur rejicienda esse.

Hercherus denique in textum, qui vocatur, haecce recepit: *Ἐναντιοῦται δὲ μετὰ — πρὸς φιλίας κτῆσιν ἡ τῆς πολυφιλίας ὄρεξις κ. τ. λ.* Qua conjectura recepta concedo sententiam evadere bonam et difficultates istas removeri, at mutationes factas nimis esse violentas dico.

Restat igitur, ut ipse dicam, qua ratione hunc locum recte constitui posse arbitrer. Equidem in ea lectione acquiescendum esse puto, quam, ut in codicis Meziriaci margine legimus, Xylander ante oculos habuit, sive ipse conjecit, sive ex antiquo codice sumsit: *ἀφιλίας ἐστίν*, ut sententia loci haec sit: inter alias multas haec non est minima causa, cur (veram) amicitiam non paremus ect. Ne quis mihi opponat, genetivum *ἀφιλίας*, nimis recedere a verbo *αἴτιον*, cum eadem difficultas in aliis quoque conjecturis exstet. Quodsi quis miratur, quod Xylandri sententiam tanti existimare videor, conferat, quaeso, quae Doehnerus in quaestionum Plutarchearum particulae primae pag. 43 dixit: offensus item videtur Xylander, qui in interpretatione latina, quae omnino a posteris editoribus magis in disceptationem vocari meruerat; et paullo post: Quod dixi editores saepe

non satis attendisse ad Xylandri interpretationem, nunc duobus sufficiet exemplis illustrare.

Sed vereor ne jam diutius, quam par est, in hac quaestione tractanda commoratus sim et accedo ad alias hujus loci difficultates. — Haerent enim interpretes et in genetivis ἀκολάστων γυναικῶν et in participio δυναμένοις. Atque Stephani sententia, ut in Reiskii editione (I. pag. 347) legimus, fuerat haec: Post γυναικῶν interpungendum est; videturque cum hoc genetivo subaudiri nominativus proxime praecedens· ὄρεξις. Meo quidem judicio non recte hanc interpungendi rationem instituit vir doctissimus, cum et ex antecedentibus et ex sequentibus argumenta possent sumi, ex quibus perperam eum judicasse apparet. Nam primum vocem ὄρεξις ad genetivum ἀκολάστων γυναικῶν non bene referri propterea contenderim, quod horum genetivorum prorsus alia est grammatices ratio atque illius genetivi τῆς πολυφιλίας. Sed ea quoque, quae sequuntur verba, isti interpungendi rationi obstant. Verba enim τῷ πολλάκις καὶ πολλοῖς συμπλέκεσθαι quam arctissime cum voce γυναικῶν videntur esse conjungenda, a qua si dirimuntur, certe habent aliquid, quo offendamur, cum non ad antecedentia ἀκολάστων γυναικῶν primo adspectu referantur, sed ad ea, quibuscum arcte composita sunt τῶν πρώτων. Atque ea ipsa verba in tali conjunctione sententiarum obscuriora redduntur et perplexiora. —

Jam vero videamus, quomodo Reiskius ipse totum hunc locum satis impeditum expedire se posse putet. Cujus sententia haec est: Nisi desint aliqua, potest auctor sic videri dedisse: κρατεῖν μὴ δυναμένων ἀμελούντων καὶ ἀποῤῥεόντων. Constructio tum erit: ὥσπερ τῶν πρώτων (scil. ἐραστῶν) ἀμελούντων τῶν ἀκολάστων

γυναικῶν καὶ ἀποῤῥεόντων ἀπ' αὐτῶν, ὅτι μὴ δύνανται κρατεῖν (scil. *αὐτῶν*) *διὰ τὸ πολλοῖς αὐτὰς συμπλέκεσθαι.* Quemadmodum qui primi amore mulierum libidinosarum capiuntur, illas contemnunt et missas faciunt, propterea quod integras possidere nequeunt saepe multisque consuescentes.

Cui et conjiciendi et interpretandi rationi, haud levia sunt, quae opponi possunt. Primum quis est, quin intellegat, positionem verborum esse duram et asperam, ut bono quidem scriptori vix tribui possit. Vide quanto intervallo genetivi *ἀκολάστων γυναικῶν* absint a participio *ἀμελούντων*, quocum conjungenda sint. Omnino si verba eo, quo Reiskius vult, modo connectuntur, vocibus *ἀκολάστων γυναικῶν* major vis datur, quam par est. Praeterea mutatum participium *ἀμελουμένων* in activum *ἀμελούντων* mihi non probatur, quippe cum interpretatio loci prorsus alia fiat atque quae mea sententia expetenda videtur esse. Nam si illa verba ea ratione, quam modo exposui, ad amicitiam referimus, sententia exsistit haecce: Mulieres igitur libidinosae, quae saepe et multos complecti dicuntur, cum iis hominibus comparantur, qui multos amicos habere student; atque eos diceret Plutarchus a primis amicis neglegi et destitui, quod ab iis propter *πολυφιλίαν* non ab omni parte occupari possent. Sed mihi in eo natura *τῆς πολυφιλίας* posita esse non videtur et rem se habere contendo fere hoc modo: Is qui multos amicos habet vel parat sibi, priores neglegere solet propter eos, quos postea sibi conciliavit i. e. priores amici, cum posteriores seu sapientia seu suavitate seu aliis rebus superare non possint, negleguntur ab illis proptereaque discedunt.

Quae si vera est sententia scriptoris, apparet participium non esse sollicitandum. — Restat denique, ut Wyttenbachii sententiam paucis verbis referam. Qui vir doctissimus locum emendari vult, ut scribatur aut: *ὥσπερ ἀκόλαστοι γυναῖκες — δυναμένη*, aut: *ὥσπερ ἐπ' ἀκολάστων γυναικῶν* (prouti se res habet in lascivis mulieribus) — *δυναμένης*. Sed animadversionum I. pag. 513 tertiam rationem affert, qua solum *δυναμένοις* immutari vult in *δυναμένη*, quod ad *ὄρεξις* referendum esse censet. Qua conjectura recepta totius periodi haec fere erit interpretatio: „inter multas alias causa non minima, cur nullam veram amicitiam nobis paremus, est *ὄρεξις πολυφιλίας* sicut *ὄρεξις* libidinosarum mulierum, quae cum saepe et multos complectantur, non possunt retinere primos, qui negleguntur et dilabuntur.“ Quis non videt, quam frigide fluat haec oratio. Primum monendum est, non boni scriptoris esse, quod vox *ὄρεξις* modo cum genetivo, qui dicitur, objectivo, modo cum subjectivo conjuncta sit. Tum dictionem (*ὄρεξις τῶν πρώτων κρατεῖν μὴ δυναμένη*) aliquid habere, quo displiceat, nemo non concedet; neque omnino perspicitur, quid sibi velit ea conjunctio verborum; nam dici poterat *γυναῖκας κρατεῖν μὴ δύνασθαι*, sed minime *ὄρεξιν*. — Quibus ex causis rejiciendam esse Wyttenbachii conjecturam dico. Sed aliae quoque difficultates haud absunt ab hac conjiciendi ratione. Ut jam unum addam — quam solitaria in tali structura sunt posita participia *ἀμελουμένων* et *ἀποῤῥεόντων* ex toto sententiae connexu excepta? Certe referenda ea esse censet Wyttenbachius ad genetivum *πρώτων*. Quod ut sine offensione fieri possit, necesse est illa participia aliquo modo arctius cum antecedentibus conjungi.

Equidem totum hunc locum hoc fere modo legendum proposuerim: *ὥσπερ αἱ ἀκόλαστοι τῶν γυναικῶν τῷ πολλάκις καὶ πολλοῖς συμπλέκεσθαι τῶν πρώτων κρατεῖν μὴ δύνανται, ὡς ἀμελουμένων καὶ ἀποῤῥεόντων.* Sicut lascivae inter mulieres eo, quod saepe et multos complectuntur, primos retinere non possunt, quippe qui negleguntur proptereaque discedunt. —

pag. 94 B.

Ἐπεὶ δ' ἡ ἀληθινὴ φιλία τρία ζητεῖ μάλιστα, τὴν ἀρετὴν ὡς καλὸν, καὶ τὴν συνήθειαν ὡς ἡδὺ, καὶ τὴν χρείαν ὡς ἀναγκαῖον· δεῖ γὰρ ἀποδέξασθαι κρίνοντα (κρίναντα) καὶ χαίρειν συνόντα καὶ χρῆσθαι δεόμενον· ἃ πάντα πρὸς τὴν πολυφιλίαν ὑπεναντιοῦται καὶ μάλιστά πως τὸ κυριώτατον ἡ κρίσις· σκεπτέον δὴ πρῶτον εἰ ἀδύνατόν ἐστι κ. τ. λ.

Qui locus quam maxime turbatus a Wyttenbachio ad certam sententiam, ut ipsi videtur, emendatus est, cum priores editores varias lectiones praebuissent. Atque Stephanus quidem scripserat: *Ἐπειδὴ ἀληθινὴ φιλία — καὶ μάλιστα πρὸς τὸ κυριώτατον· σκεπτέον δὲ πρῶτον εἰ δυνατὸν — χορευτὰς συναγορευομένους, ἐρέτας — φίλους πολλοὺς εἰςάγων ἁπάσῃ τύχῃ συναποδυσομένους.* — Hercherus autem in multis rebus Wyttenbachium secutus haecce recepit: *ἐπεὶ δ' ἡ ἀληθινὴ φιλία — ὡς ἀναγκαῖον (δεῖ γὰρ — ἡ κρίσις) σκεπτέον* (omisso *δὴ* vel *δὲ*) *πρῶτον εἰ „δυνατόν“ ἐστι κ. τ. λ.*

In quo loco tractando non meum est, omnia examinare, quae Wyttenbachius vel ex aliis libris collegit vel ipse conjecit. Equidem unum maxime in disputationem adducam, quod largam mihi praebuit dubitandi materiam. Nam vel eum, qui obiter legit hunc locum, non potest non offendere structura hujus periodi, quae verbis eo,

quem supra attuli, modo dispositis, ita est comparata, ut enuntiatio secundaria sit: *Ἐπεὶ δ' ἡ φιλία* . ., primaria vero incipiat a verbis *σκεπτέον δή*, atque interposita sint quasi parenthetice duo enuntiata: *δεῖ γὰρ* — *κρίσις*. Atque primum quidem quaeritur, num enuntiatio primaria *σκεπτέον δὴ* — *συναποδουμένους* apte adnectatur ad secundariam *ἐπεὶ δ' ἡ ἀληθινή* . . . Nam sententia evadit haec: Quandoquidem ad veram amicitiam tria potissimum requiruntur, virtus ut pulchrum, consuetudo ut jucundum, usus ut necessarium: primum igitur existimandum est, si brevi tempore deligi non possint chorici saltatores, — minus etiam deligi posse multos amicos omnem una paratos subire fortunam.

Quae membra enuntiati statim videbis minus inter se convenire, cum omnino non intellegatur, quae eorum sit ratio. Atque augetur asperitas orationis, enuntiatis *δεῖ γὰρ* . . . et *ἃ πάντα* . . . inter illas ejusdem periodi partes interpositis. Quas offensiones difficultatesque facile arbitror removeri posse, si pro *δεῖ γὰρ* scribitur *δεῖ σε ἄρ'*.

Interpretationem autem loci proposuerim hanc, ut statuam, inde ab his verbis incipere enuntiationem primariam: Quandoquidem ad veram amicitiam tria potissimum requiruntur, virtus et consuetudo et usus, judicio adhibito recipiendum (tibi) est (amicos), et gaudendum consuetudine eorum, et ubi opus est, iis utendum — quae bona et loco nostro convenientissima videtur esse sententia, cum singulae partes hujus enuntiati bene respondeant prioris enuntiati membris. Et sequentia quoque verba ita optime producunt orationem.

Pauca denique addere mihi liceat de particulae *ἄρα* vi et usu. Quam ab Atticis scriptoribus saepe ita

usurpari, ut indicet id, quod efficitur eis, quae in antecedente enuntiato dicta sunt, satis notum est. Inveniuntur autem loci, ubi particula illa quasi abunde usurpata est. Cujus usus exempla conferantur haecce: Plut. Mor. pag. 340 D: *ἐκαλεῖτο δὲ ἄρα Ἀλύνομος.* — pag. 385 E. *Ἐπεὶ δὲ Κλεόβουλος, ὁ Λινδίων τύραννος, εἶτα Περίανδρος ὁ Κορίνθιος, οὐδὲν αὐτοῖς ἀρετῆς οὐδὲ σοφίας, ἀλλὰ δυνάμει καὶ φίλοις καὶ χάρισι καταβιαζόμενοι τὴν δόξαν, ἐνέβαλον εἰς τοὔνομα τῶν σοφῶν καί τινας γνώμας καὶ λόγους ἐξέπεμπον καὶ διέσπειρον εἰς τὴν Ἑλλάδα τοῖς ὑπ' ἐκείνων λεγομένοις ὁμοίους, — δυςχεράναντας ἄρα τοὺς ἄνδρας ἐξελέγχειν μὲν οὐκ ἐθέλειν τὴν ἀλαζονείαν οὐδὲ φανερῶς ὑπὲρ δόξης ἀπεχθάνεσθαι καὶ διαμάχεσθαι πρὸς ἀνθρώπους μέγα δυναμένους.* — pag. 151 F: *οἷα καὶ πρὸς ἡμᾶς εἰς Αἴγυπτον ἀπηγγέλη περὶ Χίλωνος, ὡς ἄρα διαλύσαιτο τὴν πρὸς Σόλωνα φιλίαν καὶ ξενίαν, ὅτι τοὺς νόμους ὁ Σόλων ἔφη μετακινητοὺς εἶναι.* —

pag. 96 A.

Ἐκεῖνο δὲ μᾶλλον ἡμῖν παραίνει τὸ Πυθαγορικὸν, μὴ πολλοῖς ἐμβάλλειν δεξιὰν, τουτέστι μὴ πολλοὺς ποιεῖσθαι φίλους μηδὲ πολύκοινον μηδὲ πάνδημον ἀσπάζεσθαι φιλίαν καὶ πρὸς ἐναντίαν ἢ μετὰ πολλῶν παθῶν εἰςιοῦσα.

Primum addendum est, codices Parisienses D et E, codicem Collegii Novi, editiones Aldinam, Basiliensem, Xylandream praebere *ἐναντίην η*, codicem Parisiensem C etiam corruptius *πρὸς ἥν τι ἂν ᾖ.* — Quas lectiones nil valere neque quidquam praebere, ex quo possit melior lectio elici, non est quod fusius exponam.

Sententia autem loci haec est: Illud vero Pythagoricum nobis praecipe, ne multis dextram porrigamus,

hoc est, ne multos faciamus amicos neve multis communem et quasi publicam amplectamur amicitiam. — Sequuntur illa verba corrupta, quae vix poterunt ea quidem forma, quam codices praebent, Latino sermone reddi, ita ut apta sententia enucleetur. Itaque interpretatione horum verborum in medio relicta primum ad virorum doctorum conjiciendi conatus animum convertamus. Et Reiskius quidem ad hunc locum adnotat: „Post φιλίαν est lacuna, sed multa non desunt." Ex qua nota concludi potest, illum ipsum codicem vel codices inspexisse, ut verba ejus non sint pro nihilo habenda. Neque minus recte videtur H. Stephanus adnotasse, post ἐναντίαν aliqua desiderari. Nam quis est, quin videat, illa verba neque cum sequentibus, neque cum antecedentibus apte posse conjungi. Ut accipiamus jam illam conjecturam εἰςιοῦσαν pro εἰςιοῦσα ex Vulcobio, Meziriaco, Anonymo sumptam — quid tandem significari his verbis viri docti volunt: πρὸς ἐναντίαν εἰςιοῦσαν (scil. φιλίαν)? Quodnam substantivum putant conjungendum esse cum adjectivo ἐναντίαν? Quonam modo defendi potest particula καί, cum omnia, quae antecedunt membra connexa sive disjuncta sint particula μηδέ? Denique quid effici arbritantur illi particula ἤ, quam ab hoc loco quam maxime alienam esse apparet?

Atque primum Wyttenbachius, ut ejus sententiam examinemus, forte legendum esse dicit: πρὸς ἕνα τινὰ μετὰ πολλῶν παθῶν εἰςιοῦσαν, ut est in Turnebo, Vulcobio, Anonymo. Quam lectionem si accipimus, sententia exsistit haecce: ne multos faciamus amicos neve multis communem et quasi publicam amplectamur amicitiam et in unum quendam cum multis affectibus ingredientem. Unusquisque autem videt, hanc lectionem ea de causa

probari nequire, quod hoc membrum sententiae totius periodi repugnat, quippe cum in antecedentibus inde a verbis *μὴ πολλοῖς ἐμβάλλειν δεξιάν* agatur de *πολυφιλία*, quam Graeci dicunt, his vero verbis *καὶ πρὸς ἕνα τινά* subito ad amicitiam, quae cum uno contrahitur, transeatur, id quod ab hujus loci sententia quam maxime abhorret. Neque minus aliena videtur particula *καί*. Denique num haec ipsa verba: *πρὸς ἕνα τινὰ μετὰ πολλῶν παθῶν εἰςιοῦσαν* prorsus inter se congruunt? Nonne quae dicuntur *πολλὰ πάθη* respondent illis, quae antecedunt, verbis *πολύκοινος* et *πάνδημος*, ideoque opposita sunt his *πρὸς ἕνα τινά*? — Sed satis superque me dixisse de hac lectione arbitror, ut jam mihi liceat ad alteram conjecturam me convertere, quam maxime amplexus esse videtur Wyttenbachius et quam in versione Latina se reddidisse dicit: „et cum multis affectibus in animos nostros ingredientem, ut in contrarium i. e. inimicitiam abeat.“ Quam sententiam inesse vult his Graecis verbis: *πρὸς ἐναντίον μετὰ πολλῶν παθῶν εἰςιοῦσαν*. Ex quibus quonam modo illam sententiam potuerit extrudere, non possum non confiteri me parum intellegere.

Sed jam inquiramus in ipsa verba Graeca, num mutatione verbi *ἐναντίαν* in *ἐναντίον* facta, difficultates, quibus premebatur locus, omnes sint remotae. Atque primum dicendum est, quod jam supra monui, particulam *καί* hoc loco non quadrare, cum *μηδέ* exspectetur. Tum vero verbis *πρὸς ἐναντίον* ita solitariis contendo non bene exprimi eam sententiam, quam Wyttenbachius vult illis subesse et ego quoque ad hunc locum quadrare arbitror. Neque id est omittendum, Reiskium adnotasse, post *φιλίαν* aliqua deesse. — Verbo attingere satis

habeo lectionem vel potius conjecturam πρὸς τὴν καρδίαν. Nonne pro ea dictione desideramus εἰς τὴν καρδίαν vel solum accusativum? Et mutatio illa certe est satis violenta. —

Denique ut jam quid ipse sentiam dicam, optimam sententiam evadere puto, si conjicimus scriptoris verba fuisse haecce: μὴ μεταβάλληται πρὸς ἐναντίον ἡ μετὰ πολλῶν παθῶν εἰςιοῦσα ne in contrarium (i. e. inimicitias) immutetur cum multis affectibus ingressa.

pag. 49 B.

Sub finem primi capitis ejus libri, cui inscribitur: πῶς ἄν τις διακρίνειε.. verba, de quibus disputaturus sum, in libris manuscriptis leguntur haec: Ἀντιπάττεται γὰρ ἀεὶ πρὸς τὸ Γνῶθι σαυτὸν ἀπάτην ἑκάστῳ πρὸς ἑαυτὸν ἐμποιῶν καὶ ἄγνοιαν ἑαυτοῦ καὶ τῶν περὶ αὐτὸν ἀγαθῶν καὶ κακῶν τὰ μὲν ἐλλιπῆ καὶ ἀτελῆ, τὰ δὲ ἀνεπανόρθωτα ποιῶν.

Priusquam ad locum tractandum accedam, ut plane intellegatur, qui sit connexus rerum verborumque, liceat argumentum primi hujus capitis haud multis verbis proponere. Et primum quidem auctor exponit, eis, qui aperte dicant, nimis sese ipsos amare, veniam dari, inter pessimos autem eos esse referendos, qui sui ipsorum justi aestimatores esse non possint. Occaecatum enim esse animum ejus, qui amet, nisi consueverit, honesta potius magni aestimare atque sectari quam ipsi cognata. Sed id ipsum, quod tanto amore nos ipsos amplectimur, adulatori veniam facultatemque praebet, qua eo facilius in animos hominum irrepere potest. Nam is qui adulatori indulget, se ipsum quam maxime amat et propter sui benevolentiam, sibi omnia praesto esse et vult et putat. Quodsi vero recte dixit

Plato, veritatem et deis et hominibus esse principium omnium bonorum, fieri non potest, quin adulator deorum sit inimicus, ante omnes Apollinis. Nam semper ille obstat, quominus quis se ipsum noscat, eo quod unumquemque de se ipso fallit et ignorationem ei induit sui ipsius et bonorum et malorum, qui ei adsunt, haec manca et imperfecta, illa insanabilia reddens.“

In eo igitur enunciato, quod supra laudavi, compluria sunt, quae viris doctis offensionem praebuerunt. Primum enim in compluribus libris post verbum *ἑκάστῳ* legitur *καί*, quod ab hoc loco abesse, vix est quod moneam. Tum — nonnulli codices praebent *τὰ ἀγαθὰ καὶ τὰ κακὰ* post *κακῶν*. Quae verba tamquam emblema jam a Wyttenbachio recte sunt rejecta. Qui etiam de veritate lectionis *ἐλλειπῆ* et *ἐλλιπῆ* recte disputavisse videtur. Sed haec omnia missa faciamus. Equidem de verbis *ἑαυτοῦ καί*, quae leguntur post *ἄγνοιαν*, dicam, quae locum suum non habere, sed aliquo modo interposita esse contendo et comprobare studebo. Plutarchus hoc loco dicit, fieri non posse, quin adulator deorum, imprimis Apollinis, sit inimicus propterea, quod semper impugnet vocem: *Γνῶθι σαυτόν*, eo quod unicuique errorem de sua ipsius natura affert, id est, quod efficit, ut homines falsam suae ipsorum naturae opinionem habeant: *ἀπάτην ἑκάστῳ πρὸς ἑαυτὸν ἐμποιῶν καὶ ἄγνοιαν ἑαυτοῦ καὶ τῶν πρὸς αὐτὸν ἀγαθῶν καὶ κακῶν.* Quis est, quin concedat, verbositatem inesse his verbis molestissimam. Tautologia autem, quae dicitur, reperitur inter verba *ἑαυτοῦ* et quae sequuntur *τῶν περὶ αὐτὸν ἀγαθῶν καὶ κακῶν.* Propter ea quoque, quae sequuntur, verba, de quibus agimus, minus apta videntur esse. Nam sub finem hujus enuntiati Plutarchus exponit,

quonam modo ἄγνοιαν hominibus inserat adulator, sed solum de ea re dicit, quod ille ignorationem efficiat bonorum et malorum, quae in eo insunt. Quodsi igitur verba ἑαυτοῦ καί servaremus, concinnitas orationis, quae dicitur, neglecta esset. Accedit etiam hoc, quod in codicibus varietas lectionis exstat, ex qua cognoscitur, non integra haec verba in codicibus servari. Multi enim codices, inter quos etiam optimus codex Parisiensis 1672 et complures editiones praebent ἑαυτῷ, quod quidem ferri non posse apparet. Si enim dativus desideraretur, pro ἑαυτῷ — αὐτῷ scribendum esset; sed paullo ante legitur ἑκάστῳ, quod facillime hoc loco cogitando suppleri potest. Restat denique ut exponam, quanam ratione censeam illa verba in textum, qui vocatur, irrepsisse. Mea quidem sententia hoc facillime fieri poterat, cum proxime antecederet ἑαυτόν et omnino saepius hoc loco invenirentur similia verba: σαυτόν, ἑαυτόν, αὑτόν. Atque verbum καί facile interponi, in hoc ipso enunciato jam vidimus.

pag. 51. D.

Ἔστι μὲν οὖν διὰ ταῦτα δυςφώρατος ἀνὴρ, ὥσπερ τῶν θηρίων ὅσα πεφυκότα τὴν χρόαν τρέπεσθαι, συναφομοιοῦται τοῖς ὑποκειμένοις ὑλήμασι καὶ χωρίοις.

Plutarchus in describendo adulatore cum polypis eum comparat. Quos tam versicolores esse dicit, ut proprio quidem colore egentes aliarum rerum, quibus insident, colorem sumant. Conferantur Theognidis versus, quos Plutarchus pag. 96 F. attulit:

πουλύποδος νόον ἴσχε πολύφρονος, ὅς ποτὶ πέτρῃ.
τῇ περ ὁμιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.

Offendunt autem verba ὑλήμασι καὶ χωρίοις, cum desideretur hoc loco significatio coloris. Atque H.

Stephanus pro *ὑλήμασι* receperat *σχήμασι*, quem alii secuti sunt excepto Herchero, qui *χρώμασι καὶ χωρίοις* scripsit. Wyttenbachius autem propter librorum auctoritatem non putat recedendum esse a lectione *ὑλήμασιν*. Neque re vera est, cur hoc verbum rejiciamus, quod non abhorrere a Plutarchi dicendi genere apparet ex eis locis, quos Wyttenbachius laudavit. Quaest. Natur. pag. 911. E. *ἐν τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ βλαστάνειν ὑλήματα καὶ φυτά*; p. 917 E. *τῶν φυτῶν καὶ τῶν ὑλημάτων ὀσμαί.* Majorem autem offensionem praebere dico alterum verbum *χωρίοις*, cum non de locis agatur, quae quidem satis significata esse videntur verbo *ὑλήμασι*, sed de coloribus, ut ex antecedentibus verbis *τὴν χρόαν τρέπεσθαι* et ex eis, quae sequuntur *ἀλλοτρίοις χρώμασι καὶ σχήμασι . . . κοσμούμενον*. Itaque cum Wyttenbachio pro *χωρίοις* lectionem *χρώμασι* in textum censeo recipiendum esse, quippe quae sententia totius loci requiratur et auctoritate codicis Parisiensis D comprobetur. Vix est, cur moneam, facile levi errore librariorum falsam illam lectionem *χωρίοις* propter similem litterarum ductum oriri potuisse. Neque vero assentior Herchero, qui conjecit: *χρώμασι καὶ χωρίοις*; recte quidem vidit vir doctissimus notionem coloris hoc loco desiderari; sed non *ὑλήμασι*, sed *χωρίοις* mutandum fuisse contendo.

pag. 52 C.

Ἂν δὲ θηρεύῃ φιλόλογον καὶ φιλομαθῆ νέον αὖθις ἐν βιβλίοις ἐστὶ καὶ πώγων ποδήρης καθεῖται καὶ τριβωνοφορία τὸ χρῆμα (vel *τὸ σχῆμα*) *καὶ ἀδιαφορία καὶ διὰ στόματος οἵ τε ἀριθμοὶ καὶ τὰ ὀρθογώνια καὶ τρίγωνα Πλάτωνος.*

Capite nono hujus libelli Plutarchus etiam in eo discrimen inter amicum et adulatorem observandum

esse dicit, quod verus amicus in instituenda et regenda vita semper sibi constet, semper eadem laudet atque sequatur; adulatorem autem omnino certos et constantes mores non habere, sed aliorum arbitrio eos mutare, proptereaque eum non esse simplicem, neque unum, sed varium et versicolorem. Quodsi enim forte venatori vel venationis studioso insidietur, tum et ipsum venandi cupiditate sese abreptum esse simulare. Atque contra si sectatur juvenem litteris ac studiis deditum, et ipse confestim totus ad libros incumbit et barbam usque ad pedes demittit et pallii gestatio τὸ χρῆμα (vel τὸ σχῆμα) et neglegentia et in ore sunt numeri et rectangula et triangula Platonis. —

Quae si legeris, facile intelleges, difficultatem hoc loco positam esse in verbis τὸ χρῆμα (vel τὸ σχῆμα); quarum lectionum quamvis utraque in libris manuscriptis inveniatur, auctoritate quidem magis fulcitur illud τὸ χρῆμα. Quam lectionem, licet codex Parisiensis, littera E notatus, praebeat, cujus auctoritas est maxima, et Duebnerus et Hercherus etiam in textum receperint, — equidem non probaverim; sed in hac quaestione assentior eis, quae Wyttenbachius animadversionum I. pag. 345 exposuit: σχῆμα praeferam alteri lectioni, quamquam ne illi quidem spernendae, χρῆμα ect. — Sed ne illam quidem lectionem concesserim ferri posse. Nam etiamsi recta esset interpretatio verborum, quam attulit Wyttenbachius dicens, illis verbis significari, totum negotium esse pallii gestationem et jactationem indifferentiae ac numerorum triangulorumque Platonis, tamen eam lectionem probare non possem; nam male ita fluit oratio. Atque ea ipsa dubitatio me tenet, num vox τὸ χρῆμα inter cetera membra enunciati posita ad totum

enunciatum referri possit, cum propter positionem nisi cum verbo *τριβωνοφορία* conjungi nequeat. Quid vero illa vox cum hoc verbo conjuncta significet, non perspicio. Cogimur igitur contra auctoritatem codicis Parisiensis E alteram lectionem *τὸ σχῆμα* praeferre; atque de hujus verbi significatione et usu recte, ut mihi videtur, disputavit Wyttenbachius, animadversion. I. pag. 345: *τὸ σχῆμα* fere proprium est de habitu et vestitu philosophorum. cf. Plut. Mor. pag. 81 B: *τῶν φιλοσοφεῖν βουλομένων οἱ μάλιστα κενοὶ καὶ βάρος οὐκ ἔχοντες θράσος ἔχουσι καὶ σχῆμα καὶ βάδισμα καὶ πρόσωπον ὑπεροψίας καὶ ὀλιγωρίας μεστόν.* — Item pag. 84 E. ubi non de philosophis agitur, sed de cujuslibet hominis gestu illud verbum est usurpatum. — Sed alia exsistit quaestio, quonam hoc verbum sit referendum. Nam satis apertum est, rationem codicum, qui exhibent *καὶ τριβωνοφορία τὸ σχῆμα καὶ ἀδιαφορία*, non probandam esse. Nam cum *τριβωνοφορία* non magis conjungi posse *τὸ σχῆμα* quam *τὸ χρῆμα* supra expositum est. Wyttenbachius quidem dicit: sed *ἀδιαφορία* utrum jungi debeat cum *σχῆμα* an cum *διὰ στόματος*, non satis in promptu est. Si prius valet, sensus hic sit: habitus constat gestatione pallii et indifferentiae specie: sin alterum, in ore sunt indifferentia et numeri figuraeque Platonis, sed *καί* ante *διὰ στόματος* delendum; et hoc quidem malim. Cui explicationi compluria recte opponi possunt. Primum si *ἀδιαφορία* conjungitur cum sequentibus, ita ut legatur: *καὶ ἀδιαφορία διὰ στόματος οἵ τε ἀριθμοὶ καὶ τὰ ὀρθογώνια καὶ τρίγωνα Πλάτωνος,* huic annectendi rationi obstat positio verborum, cum praedicatum, quod dicitur, inter media subjecta positum sit. Tum vero verbo

ἀδιαφορία nihil omnino aequale neque simile inesse videtur, ut bene cum ceteris verbis ἀριθμοί, ὀρθογώνια, τρίγωνα ad idem praedicatum referri non possit. Praeterea dubito, num recte dicatur ἀδιαφορία διὰ στόματος (scil. ἐστί) eodem modo, quo ἀριθμοί. Denique verbum ἀδιαφορία quam maxime est ambiguum, si sine ullo addidamento usurpatur. Alteram vero rationem, qua Wyttenbachius ἀδιάφορία adjungit ei, quod antecedit, verbo σχῆμα, ita ut sententiam loci hanc esse velit: „habitus constat gestatione pallii et indifferentiae specie", et ipsam haud feliciter excogitatam dixerim. Nam certe etiam hoc ad habitum demostrandum est referendum, quod barbam usque ad pedes demittit; sed quomodo fieri potest, ut illa verba καὶ πώγων ποδήρης καθεῖται cum verbis τὸ σχῆμα conjungantur? Positio verborum tam contracta et perversa minime probari potest. Equidem censeo, rem fortasse ita expediri posse, ut καί, quod ante ἀδιαφορία legitur, ejiciatur et τὸ σχῆμα referatur ad ἀδιαφορία, ita quidem ut haec verba τὸ σχῆμα ἀδιαφορία, parenthetice, ut ita dicam, addita et eis, quae antecedunt, καὶ πώγων — τριβωνοφορία apposita esse censuerim. Totum igitur locum hoc fere modo explicaverim: Adulator, cum pro philosopho se gerere velit, consuetudines philosophorum immitatur sectaturque; et imprimis speciem et habitum illorum imitando effingere studet. Cum vero maxime veri philosophi esse videatur, ut nullam omnino diligentiam in corporis cultum conferat, ut prorsus eum neglegat, barbam ille usque ad pedes demittit et obsoletum pallium gestat. Hanc vim puto inesse in verbis τὸ σχῆμα ἀδιαφορία, ut significent indifferentiam sive neglegentiam, quod ad habitum

attinet, quae in eo cernitur, quod barbam demittit et pallio trito utitur. Quae structura si cui minus usitata videatur esse, levi mutatione facta alteram conjecturam propono pro *τὸ σχῆμα ἀδιαφορία* — *σχήματος ἀδιαφορία*, quae eandem atque illa praebet sententiam.

pag. 65. F.

Αὕτη γὰρ (scil. *ἡ οἴησις*) *ἡμᾶς προκολακεύουσα μαλακωτέρους ποιεῖ τοῖς θυραίοις κόλαξιν, ὡς ἑτοίμους ὄντας.*

Wyttenbachius in annotationibus criticis hanc lectionem frigere neque sanam videri dicit et recte dicere videtur. Sententia enim totius loci haec est: Quod jam initio totius libelli auctor dixerat, quam maxime cavendum esse, ne quis ipse se nimis amet neve nimiam de se ipso habeat opinionem, hoc loco disputationis in memoriam revocat; nimiam enim istam opinionem, cum prius nos adulata sit, faciliores nos reddere externis adulatoribus, quippe qui parati simus. Cui lectioni explicatio quidem non deest, cum homines illos ad adulatores libenter audientes ita quidem, ut non resistentes adulationes eorum recipiant, dici possit paratos esse. Sed verbum *ἑτοίμους* nude positum ne mihi quidem probari confiteor; accuratius enim significatum esse velim, quid illi facere parati essent. Neque vero magis alteri lectioni assentiri audeo, quam vir ille doctissimus proposuit, ex margine codicis Parisiensis F. sumptam: *ὥς τινας ὄντας*: tamquam ejusmodi viros, qui aliquid simus, quod per breviloquentiam dictum arbitratur accipi posse pro *οἰομένους ἡμᾶς τινας εἶναι.* Atque eam dictionem bonis scriptoribus usitatam esse, cujus rei compluria exempla attulit, non negaverim neque obsto, quominus breviloquentia ista exquisitior sit, sed omnino sententiam ipsam verborum hoc loco non qua-

drare dico. Nam quod Wyttenbachius in his verbis inesse vult, voce *οἴησις* satis exprimi videtur, quod ex eis verbis, quae proximo capite leguntur, apparet: *Τὸ γὰρ οἴεσθαι τὰ κάλλιστα μετὰ τοῦ βούλεσθαι πίστιν ἅμα τῷ κόλακι καὶ θράσος δίδωσιν.*

Propterea pro *ἑτοίμους* paucis litteris mutatis *ἑταίρους* scribendum esse conjecerim, ut sententia loci haec sit: Per opinionem illam de nobis ipsis nimiam, qua ipsi nos adulamur, quasi socii adulatorum facti, externis illis adulatoribus facilem praebemus ad animum nostrum aditum.

pag. 67 B.

— *καὶ τῇ γλυκύτητι τοῦ νουθετοῦντος ἐπιτείνων τὸ πικρὸν καὶ αὐστηρὸν τῆς νουθεσίας.*

Disputat Plutarchus hoc loco de libertate dicendi atque exponit, maxime cavendum esse, ne quis sui ipsius gratia veluti laesus aut dolens libere dicat; ei enim dicendi libertati nullam vim inesse. Sed veri amici admonitionem omni privato affectu carentem gravem esse et venerabilem. Atque pergit auctor: si igitur apparet, aliquem in libere dicendo ea, quae amicus in se commiserit, prorsus omittere, alia autem vitia ejus acerrime vituperare, ea libertas dicendi habet vim inexpugnabilem, quippe quae ipsa monentis suavitate acerbitatem admonitionis augeat. — Offenderunt quidem viri docti hoc loco in verbo *ἐπιτείνων*, sed num recto offenderint, dubito. Et Reiskius contrarium flagitare sententiam dicit: *ἐπικρύπτων* vel *ἐπιλεαίνων*; nam quo magis intenditur, inquit, acerbitas reprehensionis, eo magis odiosa est.

Wyttenbachius autem ne sic quidem censet sententiam expleri, quae requirat utrumque verbum, ita fere:

ἐπιλεαίνων τὸ πικρὸν καὶ αὐστηρὸν ἐπιτείνει τὴν νουθεσίαν. Contra quam conjecturam certe hoc pugnare videtur, quod mutatio verborum nimis est violenta, et quamquam facile concedo sententiam satis elegantem eo modo evadere, tamen mutationem omnino non necessariam esse contenderim, cum lectio codicum et ipsa bonam sententiam praebeat et propterea sit defendenda. Atque hoc fere modo interpretor locum: Verus amicus ea, quae alius in eum peccavit, aequo animo fert neque eis sollicitatur, sed semper aeque est dulcis et suavis; si propter alia vitia et peccata acerbe in amicum invehitur, eo acerbior est admonitio, quo mitiorem et comiorem alias se praestitit hortator. Quod vero Reiskius dicit: quo magis intenditur acerbitas reprehensionis, eo magis odiosa est, recte quidem dictum est, sed contra lectionem codicum pugnare non videtur. Nam omnes omnino homines vituperationem aegre ferre constat; sed nihilominus verae amicitiae est, peccata amici non neglegere, sed acriter ea impugnare. Plutarchum autem hoc loco exprimere voluisse *τὸ πικρὸν καὶ αὐστηρόν* inesse in amici admonitione, ex eis verbis apparet, quibus supra usus est *δάκνων* et *μὴ φειδόμενος.*

pag. 74. A.

Ὅταν γὰρ ἢ μέλλοντας ἁμαρτάνειν ἐκκροῦσαι δεήσῃ, ἢ πρὸς ὁρμήν τινα βίαιον ἱσταμένους ἐξ ἐναντίας φερομένην ἢ πρὸς τὰ καλὰ μαλακῶς καὶ ἀπροςθύμως ἔχοντας ἐντεῖναι καὶ παρορμῆσαι θελήσωμεν, εἰς αἰτίας δεῖ μεταφέρειν ἀτόπους καὶ μὴ πρεπούσας τὸ γενόμενον.

Quo loco offensionem quandam praebent verba *πρὸς ὁρμήν τινα βίαιον ἱσταμένους ἐξ ἐναντίας φερομένην,* cum infinitivus requiratur. Dubium quidem esse non potest, quam sententiam loci desideremus, sed quibus

verbis scriptor usus sit, minus patet et de ea quaestione viri docti dissentiunt. Et primum quidem Reiskius post verbum *φερομένην* deesse infinitivum et idem agnoscit atque supplere vult aut *ἀντερείδειν* aut *ἀνακρούειν* aut *ἐμποδίζειν*, vel simile quid. Certe concedendum est sententiam ea ratione evadere planam et non alienam, attamen non solum in ea re mendum hujus loci latere contenderim, sed etiam alias difficultates in promptu esse, quae Reiskii conjectura non tolluntur. Atque quod Huttenius in editione annotat, Krigerum e superioribus repetendum esse suspicari *ἐκκροῦσαι δεήσῃ* non magis probandum videtur, propter concinnitatem totius enuntiati. Wyttenbachius denique in editione duas attulit conjecturas, quibus mederi se posse loco existimat. Quarum altera haec est: *ἢ πρὸς ὁρμήν τινα βίαιον ἰταμῶς φερομένοις ἐναντιοῦσθαι*, altera: *βίαιον ἵστασθαι ἐξ ἐναντίας φερομένοις*. At in animadversionibus ad hunc locum *ἱσταμένους* certe mutandum esse in *ἵστασθαι* censet, ita ut interpretetur: et adversus quendam eorum impetum, cum vehementia ruentem contra obsistere.

Sed imprimis respiciendam esse arbitror concinnitatem orationis, quae cum facillime fieri possit, ea lectione, quam Wyttenbachius profert, minime servatur. Sunt quidem tria membra enuntiati, quorum unumquodque participium et infinitivum continet, ita ut illud hunc praecedat. Quamobrem *ἱσταμένους* non mutandum esse puto, praesertim cum ea quoque significatione haud raro apud scriptores reperiatur, ut sit: vehementem quendam impetum sectari; etiam Hercheri mutationem in *μεθισταμένους* factam ob eam causam necessariam non fuisse contendo.

Ita legitur in Sophoclis Antig. vers. 299:

φρένας
χρηστὰς πρὸς αἰσχρὰ πράγμαθ' ἵστασθαι βροτῶν.

Plutarch. Demosthen. cap. XXII. πρὸς τὸ κοινὸν ἱστάμενον. — Plut. Aem. Paul. cap. IX. πρὸς τὸν πόλεμον ἔστη — simili modo explicari posse, Wyttenbachius ipse concedit. Immo etiam alium locum, quem attulit ille, Eusebii Praep. Evangel. XIX. pag. 737. A. πρὸς οὓς καὶ ἐριστικῶς ἱστάμενος ad meas partes converterim. Dico enim notionem opponendi, quae sane his verbis subest, conjunctione verbi ἐριστικῶς cum ἱσταμένους magis effici, cum proprie vertenda sint ista: quibus se contentiose applicans. Praeterea etiam verbi φερομένην significatio ei, quam Wyttenbachius profert, lectioni obstare videtur, quae fere eadem est atque quae in adjectivo βίαιος inest. Equidem locum ita legendum esse arbitror; ἢ πρὸς ὁρμήν τινα ἱσταμένους ἐς ἐναντίαν φέρειν: vel impetui cuidam vehementi se applicantes in contrarium (scil. impetum) avertere.